

D \* F \* N

1604

ÖG  
VA  
0020

+1



DISPUTATIO BIBLICA SEPTIMA.

PARTIM E SEXTO PAR-  
TIM SEPTIMO CAPITE GENESEOS  
De MATERIA, CAPACITATE, FOR-  
maque arcæ & animalibus eorumque  
victu ibidem:

De quibus 247 manus

SVB PRAESIDIO SALOMONIS  
GESNERI S. THEOLOGIÆ D. ET PROFESSO-  
RIS in Acad: VVitebergensi ad diem XXII. Februarij anno 1598.  
boris Pomeridianis.

Respondebit

M. CHRISTOPHORVS ZECHERVVS  
Norimbergenlis.



VVI TE BERGAE

Typis VVolfgangi Meisneri, Anno  
M. D. XCVIII.

AMPLISSIMIS. PIETATE  
VERA, NOBILITATE, PRU-  
DENTIA PLVRIMOQUE RERVM  
maximarum usu præstantissimis  
viris & D. D. D.

D. MARTINO HALLEROinclusæ Reipub. Norimb.  
SEPTEM VIRIS  
D. PAULO HARSDORFEROdignissimus

Et.

D. LEONHARDO DILHERN, Seniori,  
amplissimi ordinis afferori

Dominis & patribus patriæ Carissimis, per-  
petuò colendis, hasce proposi-  
tiones.

D. D. D.

Respondens.



## Quæstio I. de materia Arcæ.

### I.

**D**isputatione proxima de ijs, quæ òðætikè appellavimus, id est, de peccatis diluvium provocantibus, differuimus. Inde sequitur ὁσικòv, arca videlicet.

Ad arcæ proinde structuram accedamus: in qua primo se offert materia, quam Deus nominat, ligna Gopher, quæ cuius sint generis, inter doctores convenire non dum potuit. Septuaginta Viri reddunt τετράγωνα, quadrata p̄b̄e, vel quadrangula. Hieronymus in quæstionibus hebraicis super Gen: tradit, esse ligna bituminata: Chaldæus paraphrastes ait, cedrina ligna ad arcam fuisse adhibita.

### II.

Et Augustinus sanè, qui aliam, quam græcam lectionem, nescivit. libr. 12. contra Faustum Manichæum cap. 14. & in libro 65. quæstionum quæst. 51. Sic illud allegoricè exponit: Arcæ de lignis quadratis fabricatur, sicut Ecclesia de Sanctis constructur ad omne opus bonum paratis. Quadratum enim, quæcumq; verteris, semper stat firmiter: & Sancti in quibuslibet tentationibus stabiles permanent non adversitatibus non prospexitibus cedunt.

### III.

Quam allegoriam Ambrosius quoq; libro indicato cap. 6. approbat: adiicit autem istam insuper figuræ quadrangulæ rationem: quod Deus cum corporis nostri, tum arcæ ædificatione quadrilatera ostendere voluerit, perfectum operisq; perfecti fabricatorem se esse. Nam & corporis humani membra informam quadratam vergere, ibidem partium multarum corporis nostri enumeratione indicatur.

### IV.

Verum his suo loco repositis ad eorum potius sententiam accedimus, qui ex hebreæ linguae peritia affirmant, Gopher esse speciem quandam abietum, & arborum, quæ resinam sudant.

A 2

Hinc

Hinc certè descendit nomen Gophrith, quod picem, seu sulphur significat Gen. 19. v. 23. Ps. 11. Et abiegnæ insuper tabulæ ob levitatem & viscosum glutinosumq; lentorem navibus sunt accommodatissimæ. Quin etiam Germanica appellatio Kufern ab hebræo Gopher dimanasse non nemini videtur. Lutherus itaq; nomine diuersæ quidem speciei ab ista, quam modo vernaculae nominabam generis tamen eiusdem Thannen reddidit & re-

Etissimè.

V.

Bitumen  
arcæ.

Ac Moses ipse appellationum similitudine id innuere video-  
tur, dum bitumen, quod alterum est in arcæ materia, nominat  
Copher, quæ dictio vnica litera à Gopher dissidet. Deus enim  
ita Noæ præcipit: Bitumine illines arcam intus & foris.

VI.

Bitumen  
Symbolum  
charitatis.

Augustinus iterum hoc allegoricè in libro 65. quæstionum  
quæstione 52. explicat: Bitumen significat charitatem, per  
quam Sancti nec illis scandalis, quæ fiunt ab his, qui intus sunt  
cedunt, nec illis, quæ fiunt ab his, qui foris sunt & servant  
unitatem spiritus in vinculo pacis, tolerantes & malos Christia-  
nos, qui sunt in Ecclesia, & hæreticos, qui sunt foris & extra  
Ecclesiam.

Ligamen-  
ta arcæ.

VII.

De clavis, anks, armillis, fibulis, vncinis & id genus  
alijs ligamentis, quibus tabulæ inter se commissæ fuerunt, ni-  
hil quidem Moses, sed dubium non est, ea fuisse adhibita. Fer-  
rea an lignea fuerint, expressum non est, sed ferrea fuisse ambi-  
gi vix potest, si undarum impetus & cataclysmi duratio perpen-  
datur. Ex officina proinde improbi Thubalcain hæc ferramen-  
ta in testimonium illis petita merito statuimus.

Quæstio II de magnitudine & capaci-  
tate arcæ.

VIII.

Proximum à materia est, ut capacitatem istius carceris,  
scuc

sicut à Chrysostomo nuncupatur, dimitiamur. Ea enim ad quantitatem pertinet. De illa verò hæc sunt oraculi diuini verba. 15. Trecenti cubiti longitudo arcæ, quinquaginta cubiti latitudo eius, & triginta cubiti altitudo eius. Vnde intelligimus latitudinem arcæ proportione fescupla, altitudinem decupla, à longitudine superari.

### I X.

Quæri autem solet, vt Augustinus refert lib. 1. quæstion. super Gen. quæstione 4. vtrum tanta capacitate, quanta describitur, animalia omnia, quæ in eam ingressa dicuntur, & escas eorum ferre potuerit. Quam quæstionem cubito geometrico dis-  
soluit Origenes asserens non frustra scripturam dixisse, quod *Cubitus* Moyses omni sapientia Aegyptiorum fuerit eruditus, qui *Geometricus Origenes* metricam dilexerunt. Cubitum autem geometricum dicit tantum valere, quantum nostra cubita sex valent. Si ergo tam magna cubita intelligamus nulla quæstio est tantæ capacitatis arcam fuisse, vt posset illa omnia continere. Hæc Augustinus, cui Georgius Cedrenus, Beda & reliqui astipulantur.

### X.

Origenes porrò homilia 2 in Genesin contra Apellem, qui fuit discipulus Marcionis, & malitiosè historiam diluvii exagitavit, vt diceret in arca adeo angusta quatuor saltem elephantis locum non fuisse, quod etiam Julianus, vt ex Cyrillo patet, fecit.

### X I.

Ex quibus sanè efficitur, cubitorum mensuram in cubum esse referendam, vt singuli cubiti de mensura cubitali in solido quadrato corpore, sex latera eiusdem magnitudinis habente, accipiantur, id enim cubum appellant geometricum. Arithmeticci cubi in numeris alia est ratio, quæ huc non pertinet.

### X II.

Vnde Georgius Agricola colligit cubitum hebræorum eam esse mensuram quæ Ezech. 40. Kanæh Canna, calamus, seu arundo, qua agrorum mensores vtebantur, dicitur. Eam Ezechiel tradit sex continere cubitos. Agricola lib. de mens. & pond. fol. 226. 227.

A 3

Atque

XIII.

Atq; hæc quidem de amplitudine Arcæ Origenes & Augustinus, cæteriq; patres Apeli, Iuliano apostolor, Porphyrio, & aliis εμωχιταις opposuerunt satisne firmiter & solidè affirmare non ausim: Quandoquidem scriptura hoc non habet, neq; satis est liquidum, cuiusmodi cubitum Aegypti Geometræ usurparint, (duorum certè meminit Origenes, quorum alter 6. alter 300. cubitos nostrates faciat) Neq; id necessariò sequitur, quod Moses, cum sapientiæ ac philosophiæ Aegyptiorum gnarus esset, eius propterea specimina suis in libris ediderit, quæ non arte humana, sed Deo dictante, conscripsit. Nulla sanè vel physices vel Astronomiæ, quas artes non minus apud Aegyptios didicerat, vestigia in creatione mundi descripta apparent e nec opus fuit.

XIII.

Iam verò si alium hic intelligamus cubitum, quam cæteris in Mosaicis scriptis usurpatum, causam diversitatis ostendi simulq; demonstrari oportebit, cur eam differentiam Moses non indicaverit. Id verò est εν τῶν ἀδυνάτων.

XV?

*Arca fæderis Ex: 25. longa est duos cubitos cum semisse, lata sesquialterum cubitum, alta similiter vnum cubitum cum dimidio, aureisq; laminis intus forisq; obducta. Propitiatorum quod arcæ incumbit de purissimo auro, longitudine & latitudine par erat arcæ. Istud denique duo aurei Cherubim regebant. Quod si hic accipias cubicos cubitos, non dicam, quam immane auri pondus requiratur, sed illud saltem, quod ingencem istam molem Leuitæ humeris gestare non potuissent, quodq; multò minus duæ vaccæ & quidem fætæ, illam in plaustro è Philistinorum finibus in agrum Bethsemiticum, Sam. 6, protraxissent.*

XVI.

De altari Dominus præcipit Ex. 20. Non ascendas per gradus altare meum. Exodi autem 27, inquit Dominus: Fas cies

cies & altare de signis setim, quod habebit quinque cubitos  
in longitudine & totidem in latitudine, & tres cubitos in altitu- *Altar*  
dine Hic si Origenis cubiti locum habeant, aræ altitudo ad *altitudo*  
decimum octavum cubitum exurget, ad quam mukus sanè gradi-  
bus sacerdoti ascendendum fuerit.

XVII.

In deuteronomio vero cum Moses cap. 3. lectum Og regis *Lectus*  
gis Basanæi metitur, in longitudine illum cubitos novem, *Og, regis*  
& in latitudine quatuor habuisse tradit, simulque addit, cuius- *Basanæi,*  
modi cubitum intelligat, ad mensuram, inquit, cubiti viri-  
lis: ex quo sanè perspicuum est, Mosen alibi quoque cubitum  
ad mensuram cubiti virilis usurpare.

XVIII.

Et quid deniq; causæ est, ob quam ingentes eiusmodi cu- *Quod arca*  
bitos comminiscamur? Quatuor elephantis dicebat Apelles in *satis capax*  
arca locus non erat. Atqui non erant quatuor, sed duo saltem *fuerit.*  
elephantes. Sed nec quatuor, pluribusve locus, Deo ita volente,  
defuisset. Elephante vero maius animal è terrestribus nullum  
esse Plin. libr. 8. cap. 1. perhibet. Reliqua animalium genera, *Elephas*  
quæ Aristotelis, Plinii aliorumq; industria memoria tradidit, maximum  
si perpendas, pauca erunt bove & equo maiora eaq; ex immun- *animal ter-*  
dorum genere, ut Camelus Leuit. 11. æqualia non multa, minora refre-  
æteria omnia.

XIX.

Tutius proinde est, nos eosdem hic cubitos intelligere,  
quales alibi Moses adhibet in fabrica tabernaculi, arcæ fædes  
tis, tentorii, aræ & similiūm structurarum describenda.

XX.

Vtrum autem nostrorum cubitorum longitudinem supera-  
rint affirmari certò non potest; credibile est, quia cum tempore  
ætas & statura hominum indies imminuitur. Sed de his ha-  
cenus.

XXI.

Proportionem longitudinis latitudinis & altitudinis in  
area



arca Augustinus lib. 15. de civitate D. cap. 26, cum mensura hu-  
mani corporis convenire tradit. Velut, si iacentem hominem in-  
quit, metataris supinum, seu prounum, sexies tantum longus est a  
**Proprio** capite ad pedes, quam latus a dextra in sinistram, & decies  
**in arca** quam latus a terra. Idem habet Augustin: lib. 12. contra Fau-  
cum homi- stum Manichæum, & paulo aliter Ambrosius libro de Noë &  
nis corpo- arca cap. 6.  
re conve-  
nit.

## Quæstio II I. de nidis seu conclauibus Arcae.

### XXII.

Qua ratione capacitas arcæ distributa fuerit ( id quod ad  
formam referendum est ) diversæ sunt sententiae. Nam Iosephus  
lib. 1. antiqu. cap. 4. quatuor eam contignationibus distinguit,  
**Qua ratio** quod nulla ratione nititur.

ne capaci-

tas arcæ

Septuaginta interpretes v. 16. ita exponunt κατάγαα διώ-  
distributa. γοφὲ καὶ τριώροφα ποιήσεις ἀντῆν, hoc est, inferiora bicamerata &  
tricamerata facies eam: Vulgata Hieronymi versio aliter: de-  
orsum ( & hanc vocem refert ad ostium ) cænacula & tristega  
facies in ea.

### XXIII.

Obscura est utraq; versio propter distinctionis, quæ singu-  
lis subiungenda fuerat vocabulis, defectum. Augustinus itaq;  
lib. 1. quæstion. in Gen. cap. 6. hoc pacto declarat: Nam infe-  
riora inquit, futura erant bicamerata & tricamerata. Sed in  
hac distinctione totam structuram eius intelligi voluit, vt habe-  
ret inferiora, haberet media & superiora, quæ appellantur tri-  
camerata. In prima quippe habitatione, id est, in inferioribus  
semel camerata erat arca, in secunda verò habitatione supra in-  
feriorem bicamerata erat, ac per hoc in tertia supra secundam  
tricamerata erat.

### XXIV.

Hebreæ



## XXV.

Hebræa quoq; veritas idem perspicuè ostendit. Numeralia enim pluralia Thachthim, Schenim, Scheloschim respiciunt nomen Kinnim *v.* 14. præcedens, id est, facies nidos infimos, secundos, & tertios.

## XXVI.

Eodem pacto formam arcæ Origenes homil. 2. in Gen: depingit, ex quibus Lyrnaus textum hebræum rectè vrget contra versionem Hieronymi, & colligit tria fuisse in arca cænacula, <sup>Forma</sup> imum medium, & summum. <sup>arcæ.</sup>

## XXVII.

Quod autem addit cuilibet æstimandum relinquo in imo enim sentinam collocat, in medio duo conclavia & cameras facit, in quarum altera fuerit granarium, in altera fænile: supremæ contignationi tres cameras, vel νπαλλιως, vel adlatera diretas figit, quarum, illam bestiis, hanc volucribus, extimas utrasque, medianam homini assignat. Verum hæc ita, ut cuique vivum, accipientur.

## XXVIII.

Certum est, plura tum pecudum & bestiarum maximè dissidentium stabula, tum volucrum hostili inter se odio flagrantium stabula. carceres, serpentum item, & venenatorum insectorum nidos, quasiq; scrobes & Specus distingui debere, si ex usu & consuetudine nostra singula pensitemus, & non potius divinam providentiam Noæq; imperium instar parietum intergerinorum & repagulorum singula suo loco cōseruiss: censeamus.

## XXIX.

E textu sane hebræo, vt etiam è Thargumica versione nihil habetur amplius quam tres illæ contignationes, infima, media suprema.

## XXX.

Allegorias de cameris, nidis sive conclavibus requirent ad Augustini caput 15. 16. &c. libri. 12. contra Faustum Manichæum & eiusdem caput 26. libri decimi quinti de C. D. nec non Ambrosii librum sæpe nominatum, cuius caput sextum in hac re occupatum est, & Origenis homiliam, ex qua pleraq; de-

B fluxerunt



fluxerunt, remitto. Huius instituti non est illa vel defendere vel  
reprehendere: Valet enim Augustini regula. Nemo putare de-  
bet, aut frusta hæc esse conscripta, aut tantummodo rerum  
*Allegoriae.* gestarum veritatem sine ullis allegoriciis significationibus hic esse  
quærendam: aut è contrario hæc omnino gesta non esse, sed so-  
las esse verborum figuras, aut quicquid illud est, nequaquam ad  
prophetiam Ecclesiæ pertinere i. Pet. 3. 21. Aug. libr. 15. C. D.  
27.

### XXXI.

*Figura* *arcum acuminata* Quòd arcæ figura in fastigium pyramidale collecta fuerit,  
ita ut in culmine cubitus esset latitudinis & longitudinis, per-  
peram ab Origene & Augustino lib. 12. contra Faustum  
Man. cap. 16. asseritur. Nam vbi textus de fenestra loquitur,  
Græci & latini interpretes ad illud referunt: (in cubito colli-  
gens arcam, consummabis eam) Atque hinc quidem Augusti-  
nus: Arca collecta ad vnum cubitum desuper consummatur:  
sicut Ecclesia corpus Christi, in unitatem collecta sublimatur  
& perficitur. Nomen Zohar, id est, fenestram illi putarunt  
esse verbum Zarar vel Zor, pro litera He, vel Vav vel Resch le-  
gentes. Zor enim & Zarar est in angustias redigere & coarcta-  
re. Reliqua verba, consummabis, seu perficies eam in cubito,  
ancipitem præ se ferunt sententiam, ita ut non minus ad arcam  
quam ad fenestram referri queant.

*Tectum  
arcæ.*

### XXXII.

Hinc arcam tecto utrinque devexo, quod pectinatum  
dicitur, coopertam fuisse, ut divortio quodam hinc inde  
pluvias demitteret, statuit Origenes, pinxit Lyranus, & alii,  
sed scripturam, quæ asserat, non adiiciunt.

### XXXIII.

E textu potius istud colligitur, quod planum fuerit te-  
ctum, qualia Iudeorum ædificiis consuerant. Latitudo enim  
arcæ 50 cubitis infra supraq; definita obstitit, ne in culmen acu-  
minatum illa gracilesceret: altitudo 30 cubitos non excedens  
fastigium pectinatum imponi vetuit.

*Quæstio*



## Quæstio IV. de fenestra, & ianua.

Fenestra  
& ianua.

### XXXIV.

Fenestræ & ianuæ Moses sigillatim meminit, & fene-  
stram quidem vnius cubiti superiore in parte, ianuam in medio  
alterius lateris collocat *Y. 15. 16.* Ac de fenestra varia sunt  
Rabinorum fabulae, dum alii lucernam, alii lucentem gem-  
mam, pro fenestra substituunt, nonnulli de materia, an vitrea, an  
crystallina, vel cornea, vel ex alio pellucido corpore confecta  
fuerit, plerique ubi collocata, & quomodo toti arcæ lumen  
transmiserit, operose inquirunt.

### XXXV.

Sed quæ scriptura nos scire non voluit, ea libenter ignorare  
re piæ est humilitatis, temere asserere impudentis audaciæ.

### XXXVI.

Patres plerique de fenestra silent, eò quod Græca versio Fenestra  
textum hebræum non rectè expressit hisce obscurissimis verbis: arcæ ty-  
πισυνάγων ποιήσεις τὴν κιβωτὸν, καὶ εἰς πῆχυν συντελέσθεις ἀυτὴν που Μαρ  
κύωδεν. Hugo tamen fenestram fuisse typum Mariæ virginis afferit.  
severat. Sicuti enim per illam lux intrat in arcam, ita per hanc  
Christus, qui illuminat omnem hominem, venit in mundum.  
Atque hoc procul dubio respicit vetus Ecclesiæ cantilena:  
ut vitrum non læditur, sole penetrante, sic illæsa creditur post  
partum & ante.

### XXXVII.

Hebræus textus habet vocem Zohar, quæ alibi non ex-  
tat, communi autem omnium linguae peritorum consensu fene- Zohar.  
stram notat, per quam lux diurna illabitur. Vox composita  
videtur à verbo Iaza, quod ingredi, & nomine Or, quod lu-  
cem solemque ipsum notat. Duale nomen Zaharaium, quo  
meridies designatur, quando sol altissimus diem in matutinam  
vespertinamque partem divortio dirimit, frequenter occurrit.  
Quod autem hic peculiari vocabulo Zohar nuncupatur, id cap.  
8. Y. 6. communem appellationem Challon, quod est fenestra,  
sortitur.

B 2

Quod



Ostium  
rcæ.

### XXXVIII.

Quod ostium sit in latere, id hoc pacto interpretatur Augustinus: Nemo quippe inquit intrat in Ecclesiam, nisi per sacramentum remissionis peccatorum, hoc autem de Christi latere aperto manavit lib. 12. contra Faust: Man. c. 16. Turpiculam propemodum dixerim Ambrosii allegoriam, qui ostium cum abscessu humani corporis, quem Christus & φεδγωνα nuncupat, comparauit, libro saepe indicato cap. 8. Rectius Hugo ad Christum refert, qui ait: Ego sum ostium Ioh. 10. Per Christum enim ingressus est in militantem & triumphantem Ecclesiam Ioh. 14. Gen. 28. Ioh. 1. Matth. 7.

### Quæstio V. de architectis & fabris arcæ.

#### XXXIX.

Quod autem pagani, inquit Augustinus, disputant tantæ magnitudinis (quanta supra definita fuit) arcam non potuisse compingi, ineptissimè calumniantur, cum sciant immensas vrbes fuisse constructas: nec attendunt centum annos, quibus arca illa est fabricata: nisi forte lapis lapidi adhærere potest sola calce coniunctus, ut murus per tot millia circum agatur, (qualis fuit Babylonis, Romæ, Memphis, & in Thracia vrbis quæ μακρὸν τῆχθ vocabatur,) & lignum ligno per subscudines, epiros, clauos & gluten bituminis non potest ad hærere, ut fabricetur arca non curvis sed rectis lineis longè lateq; porrecta, quam nullus in mare mittat conatus hominum, sed levet vnda cum venerit naturali ordine ponderum magisq; divina providentia, quam humana prudentia natantem gubernet, ne incurrat vnicunq; naufragium Augustinus lib. 15. C. D.

#### XL.

Fabri ar-  
cæ in arca  
non ser-  
vantur.

Quæritur item, inquit Augustinus, vtrum arca tam magna centū annis potuerit fabricari à quatuor hominibus, id est, Noe & tribus filiis eius. Sed si non potuit, non erat magnum, fabros alios adhibere. Quamvis operis sui mercede accepta non curaverint vtrum eam Noe sapienter, an verò inaniter fabris caret.



caret. Et ideo non in eam intraverunt, quia non crediderunt  
In quæstion, super Genes. cap. 5

XLI.

Atq; ita fabri arcæ typus sunt mercenariorum, qui viam  
ad æternam beatitudinem aliis monstrant, quam ipsi non ingre-  
diuntur: & ut eampanæ homines in templum convocant, cum  
ipsæ eò non descendant. Matth. 23. 15. 1. Cor. 13, 1. Nam arcæ  
fabricatio fuit quodammodo prædicatio, ut Augustinus epist.  
99. Petri sententiam 1. Petr. 3. 19. exponens, asseverat.

Quæstio VI. de animalibus in  
arca.

XLII.

Tria animalium genera custodiæ Noæ commendantur,  
volucres, quadrupedes & vermes. Nam ophaves, behema be-  
stias iumenta & pecudes, Remes ea, quæ humi serpunt signifi-  
cat. Græci ita distinguunt πετεινὰ κῆτωά, ἐφπετῶ. Ea vero non  
singula generum, sed singulorum genera voce Cal, quæ Catho-  
lica nota est, aliquoties Iusto demandantur.

XLIII.

Augustinus equidem lib. 15. C. D. cap. 27, in eam incli-  
nat sententiam, quod illa animalia, quæ possunt sine concubitu,  
de quibusq; rebus vel rerum corruptionibus nasci, in arcam  
assumta non fuerint, idq; ex eo probare nititur, quod masculi  
& fœminæ sit mentio, quod non fieret, nisi propagationis mo-  
dum Deus exprimere voluisset.

XLIV.

Atq; hinc porro ratiocinatur, quod, quæ sexu carent, malia non  
sicut apes, in arcam non venerint: eaq; similiter, quæ sic habent fuisse in  
sexum, vt non habeant fætum, sicut muli & mulæ.

XL V.

Nam ex pūredine & fæcibus muscas generari Arist. lib. nus cense-  
s. de hist. anim: testatur, de apum autem fætura non constare is at.  
bidem tradit: nonnulli ex flore callinthri, alii arundinis, alii Animalia  
oleæ illas oriri existimant, vnde Maro e foliis natos & suauibus è putredi-  
herbis ne natæ.



*Apum generatio.* herbis ore legunt. Sunt, qui apes omnes foeminas credant, fucos mares, ita coire. Gigni vero ex bubulis carnibus putrefactis poeta testatur, De putri viscere passim florilegæ nascuntur apes. Metam. 15. Sanè in leonis cadavere repertas ænigma Simsonis refert, genitas inibi nescio an citra miraculum singulare, ut typus extaret resurrectionis nostræ, quam leo de tribu Iuda sua morte nobis confecit, astrarere possimus. Iud. 14.

### XLVI.

*Insecta.* Verum ratio Augustini non satis firma est. Nam in muscis quoque sexuum differentia apparet, & illa ipsa è coitu nascuntur, quæ ex putredine quandoque oriri deprehensa putantur. De sexuum vero discrimine controversia tam est obscura, ut nemo sibi eius pervestigationem polliceri queat. Tuitius est itaque ut absq; restrictione generale mandatum Dei de omni volantium, inq; terra incedentium & reptantium genere intelligamus. Clara enim est in Dei verbis particulæ vniuersalis iteratione. Ad hæc muscæ, pulices, pediculi & id genus insecta & vermiculi vel inuitis animalibus adhærescunt, inq; eorum conclavia & cubilia vltro furtimq; se ingerunt,

### XLVII.

*Mulorum generatio.* De mulis dubia est & à philosophis nondum discussa ratio. Plinius sanè lib. 8. cap. 44. observatum esse dicit à duabus diversi generis nata, tertii generis fieri, & neutri parentum esse similia, eaq; ipsa, quæ ita nata sunt, non gignere in omni animalium genere. Ideoque mulas esse steriles: nasci autem ex equi & asinæ commixtione. Parere tamen mulas Aristoteles contra Plinium affirmit, cui experientia suffragatur.

### XLVIII.

Nec est, quod quis huc adducere velit, quod Gens. 36. 24, de Ana filio Zibeonis Horhæi narratur, illum, dum asinos patris sui pasceret in deserto, reperisse mulos, ut Rabini exponunt. Nam de interpretatione vocis Haiemim nondum liquet. Hieronymus vel de aquis calidis, vel de aquarium collectione, deq; stagnis accipiendum esse in hebr. quæstion. existimat, Septuaginta



ginta, ut etiam Aquila & Theodotion vocem hebream res-  
tinere quam dubiè interpretari maluerunt. Thargum de giganti-  
bus & robustis loquitur. Dictio sanè, aquis non equis &  
mulis : stagnis non gigantibus competit, ut etiam Lutherus *Mulorum*  
censet. Nec si Anah fœdum mulorum ortum reperit, naturalis *inuentio*.  
idcirco nullus antea fuit. Nulla denique in textu ratio est, quæ  
nos adigat, ut de genitura potius, quam de domitura mulorum  
id exponamus, si maxime demus Haiemim esse mulos.

#### X L IX.

Quamobrem etsi Augustinus scribit, quod suffi-  
ciat mulorum mularumque parentes in arca fuisse, equi-  
num videlicet atque asinum genus : nulla tamen causa est,  
quæ necessario id evincat, ut ea, quæ vniuersaliter de omni  
animantium genere à Mose traduntur, particulariter de aliquo-  
bus interpretemur.

#### L.

Alia fortè ratio illorum, quæ possunt in aquis vivere, non  
solum mersa, (hæc enim excipi nemo ambigit) sicut pisces : ve-  
rum etiam supernatantia, sicut multæ alites, ut anates, cygni  
cataractæ, flori, & similes, Augustino si assentimur libr. 15. C.  
D. cap. 26. quo amphibia quoque referre licet.

#### L I.

Ridiculum est, quod quidam Monocerota, id est, vnicornē qui  
Rhino ceros seu Nasicornis in vulgata versione redditur, in di-  
luvio penitus interiisse existimant, cum preciosissimum eius cornu  
passim in pharmacopoliis & principum gazis habeatur : cumque  
scriptura Psal. 22. & 29. & 78. & 92. Num. 23. & 42. ut animal Monocer-  
otis in terris notissimum & nobilissimum inducat, eiusque ferros seu  
ciam & habitum Job. 39. luculenter describat.

Amphibia

Rhinocer-

tos.

#### L II.

Postremò non alienum, quod Augustinus lib. 12. contra  
Faustum cap. 15. tradit, cuncta animalium genera in arca clausa  
omnes gentes ad unitatem Ecclesiæ congregandas representasse,  
id quod etiam Petro in linteo magno ostensum est. Act. 10.

Quæstio



## Questio VII. de differentia numeroq; animalium.

*Animalia  
in arca.*

L III.  
Animalia à Mose in munda & immunda distinguntur, vnde Chrysostomus homil. 24. interrogat, quomodo hoc discrimen mundorum & immundorum animalium Noë innotuerit, cum lex nondum lata esset. Respondet autem: Ipsa scientia Iusto insita docebat, quænam ad cibum accommoda, & quæ immunda. De naturali equidem scientia verum id minime est, nisi de illa, quæ per traditionem maiorum acquisita & à Deo principio monstrata intelligatur: Ideoq; addit Chrysostomus ibidem: Deus qui præceperat, idem & scire manifeste fecit.

L IV.

De numero mundorum & immundorum animalium inquit Chrysostomus: multi varias fabulas narrant, & hinc occasione sumta observationes numerorum ostendunt. Sed non observatione, verum intempestiva, hominum curiositas talia fingere molitur; vnde & multæ hæreses ortæ.

L V.

Et Ambrosius sanè allegorias numeri septenarii laboriosissimam quam utilius consecutatur cap. 12. libri indicati.

L VI.

*Animalia  
bina.*

Quod autem in hoc capite Deus bina in arcam assumi vult, de cunctis animantibus, id non refertur ad numerum mundorum vel immundorum animalium, sed ad masculum & fæminam, quæ in omnibus sive mundis, sive immundis duo sunt, masculus & fæmina. Augustin. quest. 8. in Gen.

L VII.

Postea verò capite septimo discrete septena mundorum & volucrum, bina immundorum seminario gregi decernuntur, quod de individuis septenis binisq; non de coniugibus seu paribus accipendum esse liquet. Erudite Theodoretus quest. 50. Ἐκέλευτος δὲ περιώτης θεός αὐτὸν μεν εἴ τις γένεσις



γένες τῶν δοκέντων ἀκαδάγτων διασωθῆναι, οὐδὲ ἐπὶ τὰ διὰ τῶν  
καθαρῶν.

### LVIII.

Ac quia præscivit misericors, quod Iustus, ubi tantæ Quare  
tempestatis effugisset periculum, pro gratiarum actione hostias Noah in-  
& sacrificia oblaturus esset, ut ne hoc faciendo mutilaret paria, beatur  
ideo Dominus præscius huius gratæ mentis iubet septena intro- Septena-  
duci ex mundis & singulis avium generibus, ut & suam mentem mundo  
declararet, & coniugia animalium non læderentur. Chryso- rum ani-  
stomus homil. 24. Theodoreetus rotundè τὰς μὲν τρέψαυτης malium  
φυλαχθῆναι προσέταξε εἰς τὴν αὐλήν τὸ γένες, τὸ δέ εὖ τὸ περιττὸν assumere.  
εἰς δυσίαν.

### LIX.

Porro non capta Noe intromittebat, sed venientia & in-  
trantia permittebat. Ad hoc enim valet, quod dictum est. In-  
trabunt ad te, non scilicet hominis actu, sed Dei nutu, ut scribit  
August. libr. 15. C. D. cap. 27. Et Philo pulcre: Dei clementia  
factum est, ut nullum animal detrectaret obsequium, immanibus  
etiam bestiis mansuetibus & sotera suum tanquam Pasto-  
rem, vltro in unum receptaculum sequentibus.

### LX.

Chrysostomus hom. 25. utrumque coniungit, qua vi nimi-  
rum bestiæ in arcam compulsa, & quibus frenis à mutuis cædi-  
bus inq; homines violentia fuerint ibi cohibitæ, & ait: In Noah  
Deus nos docuit, quantam potestatem Adam ante inobedientiam  
habuerit. Virtus enim Iusti divina misericordia adiuta, pri-  
mum reparauit dominium agnoveruntq; bestiæ iterum subiecti-  
onem. Cum viderent iustum, oblitæ sunt naturæ suæ, imò non  
naturæ sed ferociæ, & naturæ insitam ferociam in mansuetudi-  
nem conuerterunt. Et vide interim quid & Danieli evenerit.  
Hic enim cum à Leonibus circumdaretur, sic interpide viuebat,  
quasi ab hominibus stiparetur. Hæc ille.

## Quæstio VIII.de vctu hominum pa- buloꝝ animalium.

C

Quæsti.



L XI.

Quæritur inquit Augustinus, quomodo ibi leones, vel aquilæ, quæ consueverunt carnibus vivere, pasci potuerint. Vtrum & animalia præter illum numerum propter aliorum escam fuerint intromissa, an aliqua præter carnes quod magis credendum est, à viro sapiente vel Deo demonstrante provisa sint, quæ talium quoque animantium escis convenienter. Quæstion. 7.

L XII.

Theodoreetus autem quæst. 51. Manifestum est, inquit, quod homines & animalia à κρεοφαγίᾳ abstinuerint: nutrimentum autem habuerint à frugibus terræ, sicut Gen. 1. dictum est.

L XIII.

Huc etiam pertinet illud problema, quare brutæ animantes subiectæ sint poenæ, quæ peccandi sensum non habent. Aliquot causas reddit Ambrosius libri nominati cap. 10. Principiò sicut in bello, cum Imperator ab hoste occiditur, commoritur eius exercitus atq; omnis convincitur virtus militaris. Deinde quia nemo inquit, accusat naturam, cur reliqua corporis nostri membra moriantur solo capite sublato, cum multos videamus amputatis manibus & pedibus supervivere. Tertiò quia rationis expertia non propter se, sed propter hominem genera ta sunt animalia. Atque hæc quidem postrema ratio sola sufficit: propter hominis enim transgressionem creatura humana rum commodorum ministra vanitati subiecta est, Gen. 3. Rom. 8. Augustin: lib. 15. C. D. cap. 25. Chrysostom. homil. 22.

L XIV.

Idem cap. 13, pulcrè perpendit verba divinæ maiestatis, quæ excidium omni carni minantur. Indignatur Deus peccatis nostris, sed non obliviscitur pietatis. Minatur supplicium, sed non permittit excidium. Moderatur vindictam, revocat severitatem. Deleturum se dicit omnem carnem non à terra sed à facie terræ. Florem decutit, radicem servat. Delebo tanquam literarum apices, qui delentur sine fraude librorum, & sine imminutione tabularum. Atramentum deletur, sed lignum manet. Atramentum tollitur, substantia non exterminatur.

Caput

Cur brutæ  
animantes  
penæ sub-  
iectæ.

Deleto de  
facie ter-  
rae.



## *Caput Septimum.*

### *Quæstio IX. de ingressu.*

#### **LXV.**

In capite septimo primo se offert ingressus Noæ & animantium in arcam, in quo Ambrosius cap. 21. libri signati ordinem ingredientium obseruat, de quo scriptum est, Noam ingressum esse cum filiis suis, & deinde uxorem eius cum filiorum uxori-bus, indeq; ratiocinatur, abstinentiam generationis significari. Tempus enim illud non erat concubitus neque delitiarum, quo omnibus imminebat interitus. Quam indecorum, inquit, vt quo tempore viventes morerentur, tunc perituri generarentur. Suffragatur Damasc. lib. 4. orthod. fid. cap. 25. & ibid. Cassianus. Infirmum autem hoc esse ex cap. 8. v. 18. patet ubi in egressu quoque disiunctè] commemorantur, licet mandatum de multiplicatione generis accepissent.

#### **LXVI.**

Atq; hoc respectu procul dubio veteres uxori Noæ nomen imposuerunt, quod Parthenos, id est, virgo appellata fuerit, vt *Nomen uxoris Noæ* refert Epiphan. lib. 1. Tom. 2. hæres. 26.

#### **LXVII.**

Gnosti verò, vt ibidem legitur, fabulas putidissimas commenti sunt, quod illi nomen fuerit Noria, id est, splendida seu illustri, quodq; in arcam non fuerit admissa, & quod arcam aliquoties incenderit, cum se exclusum iri intelligeret, quæ etiam causa struct uram arcæ in annum 120. remorata sit. Nugas istas diabolus illis suggessit.

### *Quæstio X. de occlusione arcæ.*

#### **LXVIII.**

Quod Deus arcam occlusit, postquam Noah cum familia & toto grege animantium ingressus fuerat, Ambrosius eius libri cap. 15. ita explicat. Claudenda fuit arca & tuto sepienda munimine, ne eam vaga diluvii fluenta penetrarent.

#### **LXIX.**

Chrysostomus hom. 25. causas adiicit: Clausit Dominus forinsecus, vt doceat, quod securum fecerit iustum. Quod au-

C 2 tem



tem adiecit forinsecus, ita ut non posset videre Iustus regenalem omnium interitum, qui siebat, vnde intolerabili dolore affectus fuisset.

### *Quæstio X. de pluvia quadraginta dierum.*

LXX.

Cur quadraginta diebus, & quadraginta noctibus plu-  
ebat, non poterat uno die pluviam inducere? Quid, inquam,  
uno die: Vno momento posset: Sed hoc dedita opera facit, vo-  
lens simul et timorem incutere & occasionem præbere, qua pos-  
sent pænam, quæ in foribus erat, effugere. Chrysost. hom.  
24.

### *Quæstio XI. de φορᾷ arcae.*

LXXI.

Si quæras, quomodo arca conservata sit, ne in scopulos,  
domos, arbores, montium vertices impingeret? Respondet  
liber Sap. cap. 14. v. 6. Ab initio cum perirent superbi gigan-  
tes, spes orbis terrarum ad ratem configiens, remisit seculo  
semen nativitatis, quæ manu tua erat gubernata. Idemq; liber  
cap. 10. hoc admirandum opus sapientiæ Dei, quæ Filius Dei est,  
adscribit, vt constet Christum ab initio mundi Ecclesiam colle-  
gisse & conservasse, quod etiam navicula illius Matth. 8. re-  
præsentat.

LXXII.

Ambrosius libri sui aliquoties, adsciti cap. 11. sicut in  
mari navigantes & in bello exercitus, si illis non desit guber-  
natoris peritia, istis imperatoris prudentia, à periculo tui-  
funt ope aliena. O felicem Noam tali nauclero, qui non modò  
prævidere, sed etiam prohibere fluctuum potest impetum.

### *Quæstio XII. de aquarum altitudine.*

LXXIII.

Augustinus lib. 15. C. D. cap. 27, perhibet quosdam to-  
tam.



tam diluvii historiam allegoricè saltem accipiendam esse contene-  
disse: opinatos enim fuisse, tam magnum fieri non posse diluvi-  
um, vt altissimos montes quindecim cubitis aqua crescendo Diluvium  
transcenderet, propter Olympi verticem montis, supra quēm per- transcen-  
hibentur nubes non posse concordare, quod tām sublimis, dit olym-  
quām cælum sit; vt non ibi sit aer iste crassior, in quo venti, pum-  
nebulæ imbræq; gignuntur.

#### LXXIV.

Succinctè verò illorum stoliditatem ita reprimit: Non  
attendant omnium elementorum crassissimam terram isthic esse  
potuisse. An fortè negant esse hanc terram verticem montis?  
Cur igitur usq; ad illa cæli spacia terris exaltari licuisse & aquis  
exaltari non licuisse contendunt, cum isti mensores & pensores  
elementorum aquas terris perhibeant superiores atque levio-  
res.

#### LXXV.

An montes in diluvio primum congesti sint puerile est,  
quærere: cum aquarum eluvione non confluxisse sed cooperti fuissent Montes  
se perhibeantur. Si cooperti, operimento suo priores extitisse non indilu-  
eos oportet. Quod etiam Psalmus 90. & 104. testatur, qui vix pri-  
montium originem non recentiorem, sed οὐχ ξενον τηρεον μανην con-  
tu introducunt.

### XIII. inutilium quæstionum

ἀποβολή.

#### LXXVI.

Non definit humana curiositas, sed ita porrò instat: quo-  
modo in arca durare potuerunt cum libero ad respirandum aëre  
carerent, cum oculos aut cæli, aut terræ aspectu pascere non  
possent? quantum item fluvialis aquæ copiam habebant in arca  
viventes? quomodo potuit iustus ille cum filiis & uxoribus con-  
versationem cum feris & aliis animalibus ferre? quomodo tulit

C 3

fæto.



Fætorem? quomodo bruta potuerunt durare, cum conclusum  
ærem attraherent neque moverentur, sed in uno loco coer-  
rentur.

LXXVII.

Verum ad hæc & similia hominum curiosorum problemata  
cum Chrysostomo decernimus: Hæc facta sunt non aliunde  
quam ex superna gratia, cui omnia sunt possibilia. Quando  
enim Deus operatur aliquid, dilecte, noli humana ratiocina-  
tione exquirere quæ sunt: transcendunt enim mentem nostram,  
& nunquam potest humana cogitatio attingere & comprehen-  
dere eorum, quæ à Deo condita sunt, rationem. Homil. 25.

CORONIDIS LOCO.

Augustinus Quæstionum LXV.

quæst. LI.

Quid significat, quod Noë per aquam & lignum liberatur?  
Aqua significat baptismum, & lignum crucem. Sicut Noë  
per aquam & lignum liberatur, ita & Ecclesia baptismo &  
passionis Christi signaculo liberatur.

Ibidem quæst. LV.

Quid significat quod Noe sexcentorum erat annorum,  
quando diluvii aquæ inundaverunt super terram? Sexcenti  
anni significant sex ætates mundi.

Prima ætas est ab Adam usq; ad Noe.

Secunda à Noe usq; ad Abraham.

Tertia ab Abraham usq; ad Dauid.

Quarta à Dauid usq; ad trasmigrationem Babylonis.

Quinta à transmigratione Babylonis usq; ad adventum Do-  
mini nostri Iesu Christi. Sexta quæ nunc agitur,

Sexcentesimo anno vitæ Noe factum est diluvium, ita Sexta  
ætate seculi reformatur homo in agnitionem Dei per baptismum.

Quæ-



## *Quæstio LVI.*

Quid significat, quod de omni genere animalium atq; volatilium immunda bina inducuntur in arcam, & munda septena?

Immunda illos homines significant, qui ad schisma sunt faciles: munda verò homines sanctos, qui Spiritum Septiforum accipientes ex fide vivunt. Hinc etiam quidam poeta ait, Numero Deus impare gaudet.

## *Quæst. LVII.*

Quid significat, quod omnes montes excelsos supercrevit aqua quindecim cubitis?

Octo & Septem quindecim faciunt.

Octo nempe significat resurrectionem, & Septem quietem. Hoc itaq; mysterium resurrectionis & quietis, supergressum est omnem scientiam superborum, sapientium, qui nullatenus potuerunt indagare scientiam resurrectionis & quietis.

## *Quæst. LVIII.*

Qare cum ingredetur Nöe in arcam, dicitur ad eum, Ingredere tu & filii tui, vxor tua, & vxores filiorum tuorum tecum? Seorsim ergo ponuntur viri, & seorsim foeminæ. Et cum egredetur de arca, dicitur ad eum, Egressere tu & vxor tua, filii tui, & vxores filiorum tuorum: In ingressione quidem separati, in egressione autem coniuncti dicuntur.


Horum quippe ingressio istam vitam significat, vbi caro concupiscit adversus Spiritum, Spiritus autem adversus carnem, ut non quæcumq; volumus, illa faciamus, nec quæcumque nolumus illa non faciamus. Egressio autem illam vitam significat,

vbi caro iam nullam habebit concupiscentiam adversus Spiritum, vbi nihil erit ex nobis, quod repugnet in nobis.

*F I N I S.*

ΘΕΩΡΙΔΟΣ





AB 52 9  
9,9




56.

Wort



# Farbkarte #13

B.I.G.



ATIO BIBLICA SEPTIMA.

M E SEXTO PAR-  
TIMO CAPITE GENESEOS  
ERIA, CAPACITATE, FOR-  
arcæ & animalibus eorumque  
victu ibidem:

De quibus ἡτήμασι

AESIDIO SALOMONIS

. THEOLOGIÆ D. ET PROFESSO-  
ritebergense ad diem XXII. Februarij anno 1598.  
boris Pomeridianis.

Respondebit

STOPHORVS ZECHERV  
Norimbergensis.



VVI TE BERGAE

Wolfgangi Meifneri, Anno  
M. D. XCVIII.